



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

4. Post indeliberata coniugia meritò pœnitentiam sequi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

ME EBRIAM NVNCVPAT. NON DICO AMPLIVS. HEV Vxor,
ETIAM MORTVA LITIGAS! Quid quòd multi, nisi in propin-
quo mortem sponsæ esse sperarent, ne nuptias quidem celebra-
rent? Notum est illud, de eo, qui idcirco vxorem duxit, quia
tussit: speravit enim tussim esse bonæ rei nunciam, hoc est,
vetulam citò morituram, & aurum relicturam. His igitur ta-
libus omnibus *insolubilitas* matrimonij quia molestissima est,
*non modo hanc ipsam rem necessitatem dicemus, sed poenam & sup-
plicium*, ait S. Chrylostomus.

S. Chryf. lib.
de Virginit.
cap. 43.
IV.

Hæc est obiectio, quæ vulgo, & novas vxores optantibus,
tædio antiquarum, persuadet, non *bonum, sed malum matrimo-
nij esse ac dici debere inseparabilitatem*. Qua de causa, non C.
Caligula modò, apud Suetonium & Xiphilinum, sicut Mem-
mium Regulum coëgit, vt Lolliam Paulinam vxorem suam
dimitteret, sibiq; desponderet, ita & eandem rursùm, pari le-
uitate repudiavit, sed alij hodie etiam multi, vt suprâ dixi,
vxores mutant, sicut equos, aut domos; & migrant de vna ad
alteram: sed reluctante conscientia, repugnante Paulo, ira-
scente Deo. His igitur respondeo, multis sanè malè esse, quòd
non possint à coniugibus separari: sed quæro, num id malum
ex coniugio, an ex coniugibus proueniat? Si ex coniugio, cur
boni coniuges, tam ægrè separantur? Cur nihil timent magis,
quàm ne mors, aut alius infelix casus eos diuellat? Ex quo
clarum est, coniugio culpam non esse tribuendam. Tribuen-
da est igitur coniugibus: quibus si, suâ culpâ, malè est, cur
Deum accusant coniugij institutorem, & iustum temeritatis
punitorem? Vt enim nihil dicam de desertoribus suæ vocatio-
nis, de quibus suprâ memini, illud iterum iterumque mo-
nendum est, imprudenter capta plerumque infelicitè finiri.
Quàm temerariè non pauci vxores ducunt; quàm sine vllâ de-
liberatione, sine consilio, ne parentibus quidem interrogatis,
se in nuptias conijciunt? Vna ebrietas, chorea vna, vnum
munusculum, vnus annulus, vnus oculus, vnus nucus sponfos
facit. Quam nunquam antea viderunt; cuius sermones, mo-
res, opes nunquam explorauerunt, eam, quæ ex itinere in ho-
spitio diuertit, & de fenestra vinulè salutavit transeuntem,

Yyy leuicu-

leuiculam, fatuam, loquacem, dicacem, voracem, bibacem, & à sex jam alijs procantibus repudiatam, illico oculis destinant, & plenis desiderijs venantur. Fuit non ita pridem iuuenis, qui manè in scholis cæsus virgis, à prandio vxorem duxit, in solatium doloris. Adeò in promptu sunt nuptiæ etiam adolescentibus. Quin & illi assiduè loquuntur de thalamis, qui adhuc apti essent cunis. Apud quos verè malicia dicitur ætatem superare. Nec pudet pueros fari, quod viri erubescant. Immo adeò imberbes ad coniugia anhelant, vt dubitari possit, vter è sponsis nubat, ille an illa? vterque ad æqualitatem mento glaber. Vt enim illa crinito capite pro Apolline, ita ille inuesti facie pro vna de Musis potest haberi. Quod enim sponsæ sexus, id sponso dat ætas, vnica vertigine in nuptias conscienti. Quod & de feminis potest dici. Duarum exempla certissima refero, quæ Suecico hoc bello, Monachij, muliebris leuitatis illustre dederunt documentum. Ancillæ eæ fuerunt, ast, vt dominæ fierent, maritos non quæsiuerunt, sed fortè transeuntibus, velut auis visco, adhæserunt. Crebrò tunc, per urbem, milites vel noui, vel veterani, proficiscebantur. Ancillarum ergo vna, cum milites traducerentur, è puteo aquam hauriebat, neque pileo tecta, neque lacernulâ amicta. Illam ita haurientem, siue ioco, siue petulantia militari gregarius miles sic appellans salurabat: *Quid seruilia ista facis? me comitare:* dixit, & vxorem habuit. Nam illico eum est secuta, neque cuiquam domi valedicens, neque quidquam recularum suarum secum vt portaret auferens; ipsâ etiam hydriâ ad puteum relictâ. Quod tanto minus est mirandum, cum altera ancilla in aditu, atque ad ianuam ædium suarum stans, & infantem dominæ brachijs gestans, à simili milite transeunte inuitata, infantem ipsum in foribus depositum deseruerit, militemque sit secuta, nunquam antea vel visu, vel auditu cognitum. Quis equum tam temerè emeret? quis ex improviso domum, aut villam incognitam præstinaret? Quare etiam hac de caussa stultè se excusârunt illi, quorum vnus dixit: *Villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam:* alter autem, *Iuga bouum emi quinque, & eo probare illa.* Scutillima homines, itane villam & boues emitis non visos? & probatis, postquam

Luc. 14. 18.

postquam emisit? Quid, si displiceant, facietis? Pari stultitia siue iuvenes, siue puellæ coniugibus se tradunt ignaræ, an sint eos postea amaturi. Et villarum aut boum emptio, potest retractari, si fraus, si vitium latens deprehendatur; qui autem vxorem duxit, non potest retractare contractum. Tanto igitur maior est temeritas, & pœna sua dignior, si quis sese in matrimonium præcipitat, antea non diligenter expensum. Itaque videte, fratres, quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed sapientes. Nolite fieri, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, Hi namq; , qui coniugium ita suscipiunt, vt Deum a se, & à sua mente excludant, & sua libidini ita vacent, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus: habet potestatem demonium super eos: exagitat eos; seminat discordias, lites, & mille mala, quæ vtique matrimonium reddunt onerosum & exosum. Itaque his talibus, qui brutorum more conueniunt, & sine ratione vxores non eligunt, sed impetu quodam voluptatis ducunt, meritò postea displicet, quod immeritò appetiuerunt. Vera prudentia eorum, quæ agenda, & non agenda sunt, cognitio est; quam si quis rectè sectatus fuerit, nunquam ab officio virtutisq; , abscedet; nunquam vitiorum pestem incurret. Igitur qui prudentia sermones cognoscit, vt bonus trapezita, quod bonum fuerit, retinebit, & ab omni specie mala abstinebit, ait S. Basilius. Et alibi. In omni, inquit, quæ suscipitur, actione, anteedere prudentia debet. Nam, ea remota, nihil cuiusvis generis est, quod licet bonum videatur, non in vitium recidat, si aut alieno tempore, aut non adhibita moderatione fiat. Ratio verò & prudentia, vbi rebus bonis idoneum tempus ac modum definiunt, mirabile est, quantus, ex earum vsu, cum in dantes, tum in accipientes fructus redundet. Itaque & qui vxorem prudenter elegit, libenter seruat, nec optat eius amissionem. Siquidem, teste D. Bernardo, discretio omni virtuti ordinem ponit, ordo modum tribuit & decorem etiam & perpetuitatem. Nihil ergo mirandum, si coniugium non optat perpetuum esse, qui in illud se, sine discretionem, immerfit.

Et quoniam in nostra causa cæci iudices sumus, affectu sententiam trahente, etiam illi, qui sibi alioqui sapere videntur, in re tanti ponderis, alios consulere consueuerunt; quanto

Y y 2 id

Eph 5.15.

Psal. 31. 9.

Tob. 6.17.

S. Basl. hom. 12.

Idem in Con- tit. monast. c. 15.

S. Bern. ferm. 49. in Cantic.

V.